

Siciliæ regi, multo gratior & humanior fuit, quam Euclides Ægyptio regi antea fuerat. Nam cum Archimedes coram Hierone de præstantia Geometriæ differeret, fiduciaque artis jactaret paradoxum illud, de quo Plutarchus in Marcello, & Synesius in epistolis, & Pappus in mechanicis & Tzetzes, Datis viribus datum pondus tollere: ac si mundus alteram terram haberet, ut Democriti decreto ferebatur, hanc illuc posset adducere: vel ut apud Pappum est $\Delta\acute{\omicron}\sigma\mu\iota\ (\varphi\eta\sigma\iota)\ \pi\omicron\upsilon\ \epsilon\acute{\omega}\nu,\ \kappa\alpha\iota\ \kappa\iota\upsilon\tilde{\omega}\ \tau\iota\omega\ \gamma\eta\upsilon$. Da mihi (inquit) ubi consistã, & movebo terram: cum, inquam, id jactaret Archimedes, rex geometram admiratus, rogavit, ut tantæ confidentiæ periculũ faceret. Quapropter Archimedes emptam è navibus regis unam & in siccum littus e ductam graviusq; oneratam, solus machinis suis ad se perinde pertraxit, ac si in mari velis remisq; moveretur: contra postea simili Geometriæ facultate Alexandrinam ejusdem regis navim è littore in mare deduxit, quod omnes Siciliæ vires non poterant, ut apud Athenæum est lib. 5. c. 7. & apud Proclum lib. 2. cap. 3. Et apud Tzetzem Archimedes Trispaſto manu læva & sola, quinquies millenum modiorũ pondus attraxit: Quibus ingenii miraculis rex permotus dixit, Archimedi quidlibet affirmanti credendum esse, tanquam tali artificio nihil posset esse difficile. Itaq; & Archimedem oravit, ut tantisper à studii geometrici meditatione ad exempla rebus humanis necessaria animum abduceret: atque inde machinæ illæ extiterunt, quibus Syracusæ postea adversus Marcellum ab ipso machinatore ita defensæ sunt, ut in illa oppugnatione Briareus & centimanus appellaretur à Romanis, tanquam poeticis fabulis celebratos gigantes, vel Jovem potius ipsum viribus æquaret. Ut enim Juppiter fulgure tonitruque terret orbem terrarum: sic Geometra unus suis tormentis & machinis tantum exercitum perculit. Oppugnatio urbis propugnatioque à Græcis Polybio & Plutarcho, sed parcius à Livio memoratur his verbis: Inde terra marique simul cœptæ oppugnari Syracusæ, terra ab Hexapulo, mari ab Acradina, cujus murus fluctu alluitur, & quia, sicut Leontinos terrore, ac primo impetu ceperant, non diffidebant vastam disjectamque spatio urbem parte aliqua se invasuros, omnem apparatus oppugnandarum urbium muris admoverunt. Et habuisset tanto impetu cœpta res fortunam, nisi vnus homo Syracusis ea tempestate fuisset. Archimedes is erat, unicus spectator cœli siderumque, mirabilior tamen inventor ac machinator bellicorũ tormentorum operumq; è quibus ea, quæ hostes ingenti mole agerent, ipse per levi momento ludificaretur. Murũ per inæquales ductum colles, pleraque alta & difficilia aditu, summissa quædam, ut quæ planis vallibus adiri possint, ut cuique aptum visum est loco, ita omni genere tormentorum instruxit. Acradinæ murum, qui, ut ante dictũ est, mari alluitur, ex quinqueremibus Marcellus oppugnabat: ex cæteris navibus sagittarii funditoresque & velites etiam, quorũ telum inhabile ad remittendum imperitis est, vix quenquam sine vulnere consistere in muro patiebantur: hi quia spatio missilibus opus est, procul muro tenebant naves. junctæ, aliæ binæ ad quinqueremes, demptis interioribus remis, ut latus lateri applicaretur, cum exteriori ordine remorũ, velut naves agerentur, turres contabulatas machinamenta que alia quatiendis muris portabant. Adversus hunc navalem apparatus, Archimedes variæ magnitudinis tormenta in